





D I S S E R T A T I O M E D I C A

C O G I T A T A Q V A E D A M

D E

D I F F I C I L I O R I B V S

Q V I B V S D A M

D I A E T E T I C E S D O C T R I N I S

E X H I B E N S :

P A R S P R I M A ,

Q V A M

P R A E S I D E

A V R E N T I O D E C R E L L ,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE,  
ERENISSIMI BRUNOVICENSIVM AC LV-  
EBVRGENSIVM DVCIS A CONSILIIS IN  
VBVS METALLICIS; MEDICINAE THEO-  
RETICAE ET MATERIAE MEDICAE, NEC  
NON PHILOSOPHIAE P. P. O.  
ETC.

DIE X. OCTOBRIS C I C I O C C X C I I .

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

C A R O L V S IVSTV S L V D O V I C V S  
D E C R E L L  
B R V N O V I C E N S I S  
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S .

H E L M S T A D I I

E X O F F I C I N A S. D. L E V C K A R T .

M

1792 / 1

P  
GVIL

TH  
CHR  
LEC

CO

I

VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS  
GUILIELMO WIEDEMANN,  
MEDICINAE DOCTORI,  
NEC NON  
THEODORO ROOSE,  
CHRISTIANO SCHARFFE,  
LEOPOLDO ZINKEN

D. SOMMER,  
AESCVLAPII ALVMNIS,

COMMILITONIBVS SVIS  
ATQVE AMICIS  
LONGE SVAVISSIMIS

LIBELLVM HVNCCE  
IN  
INTEGERRIMAE  
INFVCATAEQVE AMICITIAE  
DOCVMMENTVM

D. D. D.

AVCTOR

CAROLVS IVSTVS LUDOVICVS  
DE CRELL.

DE DIFFICILIORIBVS

QVIBVS DAM

I A DIAETETICIS DOCTRINIS.

§. I.

*Instituti ratio.*

Quod res grauissimi momenti, ex quibus summa utilitas ad genus humaanum redundare possit, saepe iusto magis negligantur; eius quidem rei et studium artis medicæ experientiam supereditare videtur. Siquidem Medici eruditissimi inde ab antiquissimis post Hippocratem, ad nostra vsque, temporibus, in ea potissimum artis medicæ parte, quae in amilla corporis sanitate restauanda versatur, omne studium, omnemque diligentiam collocauerunt, nimis neglecta tamen ea, quae in integra adhuc sanitate conseruanda, absoluuntur; licet haec digua videatur, cui medici

A prae-

praecipuam operam nauent. Quod  
 vero quaeſiueris, vndenam oriunda  
 temeraria haec diaetetics negleſtio  
 fontem in persuasione iſta latere videbis  
 tantum abeffe, vt ars diaetetica, in tar-  
 ta climatis, viuendi rationis, corporisque  
 constitutionis et i. g. a. rerum diuersi-  
 tate, ad certa quaedam eademque vi-  
 uerſalia praecepta reuocari poſſit, vt po-  
 tius quemque, quid pro harum rerum  
 ratione, valetudini ſuae conducat, no-  
 ceatue, propria experientia, tamquam  
 optimo medico, duce, explorare, explo-  
 ratumque, peculiariſ et ſuae potiſſimum  
 valetudini adcommodatae diaetetics in-  
 star, obſeruare oporteat. Sed, licet ar-  
 tis diaeteticae principia proſlus certa  
 indubitata puraque experientia nixa, ex-  
 cogitari vix poſſe, lubens largiar; atta-  
 men vel mixtam experientiam haud  
 ſpernendam eſſe, putauerim. Quid  
 quod plures ſint artis medicae doctri-  
 nae, e. g. de ſecretionum fluidique ner-  
 uei natura, de medicamentorum in corpus  
 agendi modo, et de ea qua nutritioſtat  
 ratione; quas etiamſi penitus perſpectas

non

 Viro  
 ſe, ſun-  
 demque  
 quic do-  
 iffie, q  
 officias  
 iam iar

) 3 (

Quod  
nda si  
lectio  
debis  
n tar  
risque  
iueris  
e vni  
vt por  
rerum  
sta, no  
iquam  
de aëris natura, eiusque in corpus nostrum  
et actione plane singulari, et de virium  
utrientium, quae cibis infunt, recta dimen-  
sione. De singulis iam sigillatim non-  
nulla in medium exempli loco, proferre  
ceat.

§. II.

Difficiliora quaedam momenta, ad diaeteticam  
spelantia.

Plura vtique deprehenduntur in arte  
diaetetica maximis difficultatibus obstru-  
ta, quo ante omnia pertinent doctrinae  
quam  
explo  
muni  
es in  
et ar  
certa  
a, ex  
atta  
haud  
Quid  
octrin  
her  
corpus  
ofiat  
ectas  
non  
Viros doctos, nostra potissimum aeta-  
te, summo studio in aëris natura eius-  
demque ad respirationem vi, adhibito;  
nunc doctrinae nouam quasi lucem affu-  
dite, quis est iustus rerum arbiter, qui  
inficias eat; sed totam hancce doctri-  
nam iam ita in aprico esse, vt omnij sen-

§. III.

a) Aëris natura.

Viros doctos, nostra potissimum aeta-  
te, summo studio in aëris natura eius-  
demque ad respirationem vi, adhibito;  
nunc doctrinae nouam quasi lucem affu-  
dite, quis est iustus rerum arbiter, qui  
inficias eat; sed totam hancce doctri-  
nam iam ita in aprico esse, vt omnij sen-

A 2

ten-



tentiarum diuersitas sublata, et dubitationi et disputationi, e. g. quomodo sit ut aër phlogisticatus vel fixus et ipse sit lethalis, haud amplius locus sit, nemo contendere potest. Alii in aëris vsum quem in respiratione praeflat, inquirentes, sanguinem in aëre refrigerari, i.e. a nimia partium ignearum copia liberari, alii, quae priori prorsus contraria sententia est, sanguinem particulis igneis quae aëri dephlogisticato insint, depositis calefieri, alii denique, phlogiston superfluum per respirationem ex sanguine absorberi, contendunt. At vero cum prima ista sententia conciliari nequit homines summum calorem sine valetudinis detimento per aliquot tempus perferre posse,\* nec non zonae torridae incolas, quorum sanguis per aërem haud multum refrigerari potest, tamen bene valere, et in frigidissima denique regione, partes igneas citissime absorbente homines in aëre mephitico perire. Secundae opinioni obstat, quod homines in regione calidissima, in qua quodvis corpus, ideoque sanguis in pulmonibus contem-

contentus, maxima scatet particularum  
 ignearum copia, tamen in aëre corru-  
 pto vivere nequeant. Alia igitur cele-  
 ris in aëre mephitico mortis caussa, quam  
 defectus caloris in sanguine, ex denega-  
 to aëris puri accessu oriundus, adsit ne-  
 cessere est. Nec sublata ob deficientem  
 aërem purum phlogisti absorptio mortis  
 eiusmodi subitaneae caussa esse videtur,  
 quia sanguis hominum robustorum phlo-  
 gisti magis abundat, quam hominum de-  
 licatulorum et pallentium; nihil ta-  
 men minus illi optime valent, et hi, si  
 insipient aërem phlogisticum, qui phlo-  
 gisti nihil amplius recipere possit, pessi-  
 me se habebunt, licet (secundum hanc  
 hypothesin) non nisi paulo maior sueto  
 phlogisti quantitas in eorum sanguine sit  
 accumulata. Vera itaque necessariae  
 aëris puri respirationis caussa in ir-  
 ritandis ad inspirationem pulmonibus  
 quaerenda videtur, praecipue quum cae-  
 teras omnes corporis functiones sola ir-  
 ritatione fieri, a veritate non abhorreat.  
 Aëri verum puro vim irritantem inesse,  
 demonstrat nonnullorum Medicorum gal-

A 2 licorum

licorum experientia, qui *aëris dephlogis-  
tati in phthisi pulmonali usui inflam-  
mationem, spasmos et celeriore mor-  
tem, in aliis vero morbis, vbi lento  
humorū adeit, medelam subsequi ob-  
seruarunt \*\*. Idem etiam ex iis, quae  
ad refocillandos homines eo modo mor-  
tuos instituta sunt, experimentis conclu-  
dere licet.*

\* Inter omnes Angli quidam eruditii plur-  
ima hac de re instituerunt experimenta,  
quae a CL. BLAGDEN in Philosophical  
Transactions narrata, germanice reddidit  
pater in libello, cui titulus est: *Ver-  
suche über das Vermögen der Pflanzen  
und Thiere, Wärme zu erzeugen und zu  
vernichten, a. d. Engl. übers. und mit  
einer eignen Abhandl. über denselben Ge-  
genstand vermehrt, Helmstedt 1778.* 8.

\*\* a) Annales de Chemie T. IV. Année  
1790. p. 21. "Lettre de Mr. CHAPTAU."

b) Ibid. p. 83. "Sur les propriétés me-  
dicinales de l'air vital, par Mr. de FOY R-  
CROIX, quem tractatum in lingua  
nostram vernaculaam a me traditum V.  
in patris: *Beyträgen zu den chem. Anna-  
len, B. V. St. 2.* p. 238.

c) CL. CHRIST. GOTTL. SELLE  
*Medicina clinica.* Edit V. Berolini 1789.  
P. 387.

§. IV.

b) *Virium nutrientium, quae cibis insunt,  
accutior dimensio.*

Iam vero ad virium nutrientium, quae cibis insunt, dimensionem quod attinet, Medici, ne dicam omnes, fere homines, cibum, alio magis vel minus nutrire, sola tantum experientia, eademque vaga, ducere, perhibent. Sic v. c. carni bouinae, quum eadem copiosorem magisque consistentem gelatinam contineat, maiorem nutriti vim inesse, quam vitulinæ, omnes consentiunt. \* Quod si ita sese haberet, sequeretur, gelatinam carnis bouinae, adfusa aqua dilutam, cum gelatina vitulina vnam eandemque esse, id quod tamen nemo contendere ausit. Sine dubio itaque quaecunque carnis et cuiuscunque alimenti species, non solum quantitate principii nutrientis, verum etiam aliis virtutibus a quocunque alio genere differt; quaenam vero sint istae Virtutes, quae v. c. optimam ex omni parte nutritionem exhibent, et quid sit illud, quo praeter maiorem gelatinæ copiam, gelatina bouina vitulinam supe-

ret, (Quod quidem in principio oleofo-  
cum mucilagine sub eodem volumine  
arctius coniuncto copiosiusque commixto  
constare videtur) non satis liquet, solis-  
que experimentis rite et accurrate  
instituendis est inuestigandum. Et sic  
quidem principii nutrientis vero chara-  
ctere, qui adhuc eruendus est, recte ex-  
plorato, et secundum normam, quam hic  
ipse character suppeditat, dimetienda est  
vis ista nutriendis, quae h̄is illis alimentis  
inest; inde tunc facillime certoque modo  
adparebit, quanam ratione seu propor-  
tione aliud alimentum alii quoad gra-  
dum vis nutrientis sit praeferendum.  
Videntur itaque plurimae diaetae doctri-  
nae adhuc fallacis interdum experientiae  
fundamento inniti, quae itaque, si quid  
video, in tanta diaetetics vilitate at-  
que praestantia, omni medicorum stu-  
dio sunt digna, ut tandem in locum in-  
certarum vagarumque regularum, cer-  
tae firmaeque surrogarentur.

\* Curatius caeteris hanc in rem inquisuit  
GEOFFROY iunior, qui plurimis ex-  
perimentis quantitatē gelatinæ et mul-  
tis carnibus eleulentis eruere studuit, de  
eius

) 9 (

eius vero *qualitate* nihil addidit (V. Mem.  
de Paris Année 1730. p. 312 sqq.) cuius  
tractatus praecipua momenta inuenies in  
patris: *Neues chem. Archiv* B. III, p.  
177; ut taceam de iis, quae secundum  
mutatam per noua experimenta chemiae  
conditionem, illius experimentis opponi  
possint. — Magis ad gelatinæ *qualita-*  
*tem* respexit Cel. POERNER in libro,  
cui titulus est: *Selectus materiae med.*  
Lips. 1767. p. 114; ex quibus vero ra-  
tionibus iudicauerit, dijudicandum lec-  
ti reliquit,

§. V.

Sunt praeterea et aliae doctrinae,  
praecipue de ciborum concoctione atque  
Principii nutrientis natura, vberiori dis-  
quisitione omnino dignissimae; at vero  
cum huic disquisitioni minorem, angustis-  
que disputatiunculae finibus iam nunc  
me circumscripsum sentiam, missis his et  
ad alterum hac de re libellum, quem Deo  
fauente proxima occasione edendum  
apud me constitui, relegatis, iam ad argu-  
mentum ipsum accedam tractandum.

§. VI.

*Ordo in opusculo seruandus.*

Quasdam difficiliores diaetetics do-  
ctrinas, quae quidem omnes ad digestio-

A § nem

nem referuntur, delineaturi, opus, ut  
iusto absoluamus ordine, in tres partes  
describendum esse videtur.

Omnis fere diaetae regulae ex hisce  
deriuari possunt quaestionibus:

1) Quodnam ciborum genus ad corporis  
pus optimo modo nutriendum sanitatemque  
eius conseruandam homines certe  
pere debeat?

2) Quomodo hi cibi ad corporis natu-  
ram sint adcommmodandi?

3) Quid sit principium illud, omnibus  
cibis commune, quod corpus vere  
alat?

Hinc in prima opusculi nostri parte  
inquiremus: Quacanam diaetae species,  
utrum vegetabilis, an animalis, vel mixta,  
homini maxime conducat, in secunda, de  
digestionis natura agemus in tertia denique  
cogitata quaedam de principio nutriente,  
addere placet.

---

#### SECTIO

) 11 (

SECTIO I.

QVAENAM DIAETAE SPECIES,  
VTRVM VEGETABILIS, AN  
ANIMALIS, VEL MIXTA HO-  
MINI MAXIME CON-  
DVCIT?

§. VII.

*Prolegomena.*

In tanta, quam alma nobis offert natu-  
ra alimentorum copia, quae in dies  
adhuc augetur, et in enormi, quod illam  
ciborum varietatem, praesertim autem  
eorum abusum insequitur, morborum  
agmine, operae pretium me facturum  
esse spero, si disquisiuero, quanam ra-  
tione, salua corporis valetudine, insigni  
alla ciborum copia vti debeamus, quis  
instituendus sit ciborum delectus, quo  
minus corpori noceant, et quomodo sic  
innumerorum morborum caussa tolli pos-  
sit. Etenim in dubium vocari nequit,  
*omnes morbos e manca diaeteticis scientia;*

aut

CTIO

*aut peruersa eam adplicandi modo originem trahere.* Nam vitae duratio interratione graque corporis conditio, a succis, sercanda et vataque iusta solidarum ad fluidas partes proportione, penitus pendent; succi vero a sumtis proficiscuntur alimentis ergo quum bona tum mala corporis nostri conditio, quamplurimum a bonis vel nocuiis pendet alimentis. Iam vero de alimentis et de caeteris rebus quas vocant praeter naturales, doctrina diaeteticam constituit; ergo uti sanitas iusta diaetetics scientia, accurataque quas illa prescribit, legum obseruatione pendet, sic etiam omnes morbi ex materia illius scientia et sinistra adlicatione originem trahunt.

§. VIII.  
Diaetae divisione.

Omnia alimenta vel ex regno vegetabili vel animali peti, inter omnes satis superque constat. Prouti cibi vel ex illo, vel ex hoc defumuntur, vel vegetabilis vel animalis diaeta vocatur. Vtrique peculiaribus, iisque insignibus gaudet.

origi- det virtutibus, quae secundum diuersas  
o inter- rationes \* et ex vario scopo sunt diaudi-  
s, ser- cande, et quarum demonstrandarum  
partes infra locus erit. Si, quod Medicos val-  
acci ve- de interest, hunc scopum curatius deter-  
entis- minare perscrutarique vellemus, quae-  
orponis ham diaetae species maxime sit homini-  
bonis bus idonea, ad ipsam nostram quaestio-  
am ve- nem: *Vtra diaeta species, utrum vegeta-*  
rebus *bilis an animalis, vel mixta \*\* homini*  
Stringi- *maxime conduceat, regrediamur necesse est.*

\* Hae rationes praefertim clima, variam  
hominum aetatem viuendique modum  
spectant.

\*\* Sub diaeta mixta cibos ex vtraque na-  
ture regno defunctos coniunctosque in-  
telligi, vix est, quod moneamus.

#### §. VIII.

*Momenta historica, ad quaestionem nostram  
spectantia.*

vege- Quae ad quaestionem nostram perti-  
; fatis- dent, res historicae in uniuersales et par-  
ex il- ticulares diuidi possunt: illae diaetam in  
geato- genere, hae singulas eiusdem species com-  
Vtra- plectuntur.  
gau-  
det

#### §. X.

a) *Historia diaetae in genere.*

Quum diaetae historia ad hanc scientiam ipsam illustrandam permultum faciat; ex immenso huiusc historiae campo potiora saltem decerpere necesse erit.

1) Primi homines — vt ab ipsis ostendatur — mixtam sine dubio habuerunt diaetam, licet sint, qui, eos solummodo vegetabilibus vlos esse, arbitrentur; quod tamen, quantopere a vero abhorreat, infra vberius demonstrabitur.

2) Quo magis homines supra terram dissipabantur, eo plura iis quoque innoverunt alimenta, id quod explicatione vix eget. Etenim in peregrinam profecti regionem, quae forsan, cui hucusque adsueta erant, victum haud praebebat, vel ipsa necessitate coacti sunt, vt alia alimenta, ad vitam sustentandam explorarent, vbi in eiusmodi potissimum alimenta eos incidisse probabile est, quae cum pristinis maxime congruebant.

3) Attamen certa quaedam in alimentis viuendique modo seruata est similitudines

plicitas

plicitas, donec magna condebantur regna, quorum principes luxuria ansam quam maxime praebabant. Ex tanta exemplorum copia solos Persas adducam, qui, dum exigua adhuc gens erant, non minus vitae sobrietatis et simplicitatis laude celebrati, quam, cum populus euaderent tantum non toti Asiae imperans, funestissimae luxuria culpa omnibus erant infesti.

4) Sic et apud reliquos populos sobrietatem, talem in luxuriam abiisse, testimonia est omnium temporum historia, ita ut, prouti hominum mores excolebantur, se diaetae simplicitas, pessimiuisse videatur. Huius rei potissimum testes sunt Graeci, Romani, praesertim autem maiores nostri, qui, quod maxime dolendum est, infausto imitandi studio appeti, ab egregia vitae simplicitate, in summa licet morum cultura, ad eiusmodi in diaeta luxuriam delapsi sunt, ut alimentorum varietate, quae patria tellus praebebat, haud contenti, molliculis potius cibis, ex remotissimis regionibus allatis, palato inservire gestirent.

§. XI.

b) *Brevis diaetae vegetabilis historia.*

1) Vtebantur diaeta potissimum vegetabili primi homines, quippe qui in terrae regione erant collocati, quae sapidissimis atque saluberrimis omnis generis pomis aliisque fructibus abundabant.

2) Graeci et Romani, Plinio teste primis temporibus solis fere cibis vegetabilibus vescebantur.

3) Inter hodiernos populos Persae et Chinenses \*\* nec non omnes fere populi Slauici in Europa habitantes, plurimi Italiae incolae, Aethiopes, insularum maris meridionalis Marianarumque incolae \*\*\* vegetabili diaetae addicti sunt.

4) Caeterum sicuti integros populos, sic etiam singulos homines sola vegetabili diaeta non solum vitam sustinere potuisse, verum etiam sanitati corporis optime consuluisse, satis constat †.

\* H. N. XVIII, 7.

\*\* V. Immort. HALLERI Elementa Physiologiae, T.VI. L.XIX. §. 3. germ. redd. a I.O. SAM. HALLE sub titulo: Albr. v. H.

Abr.

Anfangsgr. der Physiol. Berlin u. Leipz.  
1774. VIII. Tom. 8. Tom. VI. p. 279  
et 283.

\*\*\* V. III. MEINERS: Ueber den Genuss  
und die Wirkungen von animal. und vege-  
tabil. Speisen; Götting. Magaz. von  
MEINERS und SPITTLER B. IV. Göt-  
tingen 1789. p. 356 sqq.

† HALLER l. c. p. 283.

§. XII.

c) Historicae quaedam de diaeta animali  
notiones.

- 1) An vetustioribus populis diaeta  
animalis sufficerit, nec ne, ex argumen-  
tis iam prolatis et infra vberius expo-  
bendis, dijudicandum erit.
- 2) Britanni et maiores nostri, veter-  
nes Germani, animali vtebantur diaeta \*.
- 3) Inter hodiernos populos Tatari,  
Mongoli, Patagones, Lapponi et omnes  
tere Europae Asiaeque septentrionalis  
incolae omnem victum ex solo regno a-  
imali trahunt \*\*.
- 4) Idem, quod Nr. 4. §. antecedent-  
is diximus, de diaeta quoque animali  
palet \*\*\*.

B

\* HAL.

\* HALLER l. c. p. 300.

\*\* a) HALLER l. c. p. 300.

b) MEINERS l. c. p. 356.

\*\*\* HALLER l. c. p. 301.

§. XIII.

Ex allatis historicis momentis colligere nos posse videtur, homines non solum sine sanitatis detimento utraque diaeta vti, verum etiam ad vegetam se necutem ultimumque vitae terminum peruenire posse, vel vnam vel alteram illius speciem elegerint. Interim haec illi e diametro opposita videtur; ex quo, si verum esset, adpareret, vnam corporis conditioni magis esse deberre adaptatam, alteram minus. Nec huic opinioni obstant enarrata facta quae, corpus humanum utramque diaetam perfserre posse demonstrant, quoniam longo temporis spatio, sine corporis detimento quibusvis rebus quodammodo adsuefieri posse communis est omnium hominum experientia. Notissima est Turcarum consuetudo, eos tanta quotidie vti opio quantitate, quae

alios

alias f.  
pla,  
commi  
te \*.  
ausit,  
venen  
omisso  
habea  
perien  
pra ad  
diacta  
qua d  
ad arg  
esse e  
\* V.  
oa  
de  
pl  
Ac  
ca

Argum

Pra  
cis, a  
fola r

alios subito necaret: nec defunt exempla, homines sine vlo valetudinis incommodo atrocissimis venenis vfos esse\*. Quis vero est, qui contendere ausit, opium, spiritus ardentes et ipsa venena, corpori nostro ita conducere, vt omisso eorum vfu, hoc non melius fese habeat. Quae quum ita sint, sola experientia, e momentis historicos supra adlati repetita, non euincit, vnam diaetae speciem alteri esse praferendam: qua de caufsa ad decidendam hanc rem ad argumenta a priori confugiamus necesse erit.

\* V. e. g. IO. GOTTL. KRÜGER *Diät oder Lebensordnung*, Halle 1751. 8. vbi de artis medicae studioſo narratur exemplum, qui post diu continuatum vsum, Arsenicum magnis dosibus sine vlo incommodo sumere potuit.

§. XIII.

Argumenta a priori, quae inter diaetae species delectum faciendum esse suadent.

Praemissis itaque momentis historicis, ad ea transeamus argumenta, quae sola ratione duce, cogitando explorare

B 2 possu-

possimus. Huc proxime spectat quaestio haec.

## §. XV.

a) Num certam quandam diaetae speciem summas mundi opifex hominumque parens generi humano destinavit? et qualem?

Ex iis, quae in sacra scriptura de primorum hominum statu atque conditione commemorata legimus, forsitan colligitur possit, Deum, eos non nisi vegetabilibus vesci debere, constituisse, siquidem ea regio, in qua versabantur, his potissimum abundabat. \* In promptu vero sunt argumenta, quae cum hac sententia vix conciliari possunt, de quibus unum solum modo afferre placet.

Quum felix illa primorum hominum conditio mox in vitae genus operosis molestisque e. g. venationis, agriculturae et rei pecuariae, laboribus consertum abiret, ut cum vitae genere et diaeta (ex molliori nimurum in solidiorem laboribus istis congruam) transmutaretur necesse erat.

\* HALLER l. c. p. 278.

## §. XVI.

## §. XVI.

b) Argumentum ab hominum structura de promtum.

Porro ab ipsa hominis structura, ad tuendam sententiam nostram, vitae nostrae sustentationem a Deo ipso diaetae mixtae adstrictam esse, repeti potest argumentum. Siquidem dentium potissimum et inferiorum structurae ratione habita, carniuora inter et solis vegetabilibus vescencia animalia homo medium tenere videtur. Sunt ei dentes canini cum animalibus carniuoris communes, eiusque tractus intestinalis breuior, quam animalium sola vegetabilia comedentium, carniuorum vero longior est. \*

\* HALLER l. c. p. 272. sqq.

## I. DE DIAETA VEGETABILI.

## §. XVII.

*Diaetae vegetabilis incommoda et virtutes.*

Iamiam de singulis diaetae speciebus ffigillatim, et primum quidem de diaeta vegetabili agendum est.

Ordiamur a refutandis obiectionibus,  
quae contra eam proferri et vrgeri pol-  
funt.

- 1) Primum quidem *omnium* vegeta-  
bilium naturam ita comparatam  
esse, vt homines iis vesci queant,  
praetereaque
- 2) paucis exceptis nulla esse vegeta-  
bilia, quae *integra* ab hominibus  
comedi possint, iure negant.  
Sed licet haec argumenta extra omnem  
dubitacionis aleam posita sint, ad diae-  
tam tamen vegetabilem plane spernen-  
dam et reiiciendam minime sufficiunt  
quia, sicuti antea (§. XI.) exposuimus:  
nihilominus foliis vegetabilibus hucus-  
que notis vita sustineri potest: ne dicam  
variis oeconomiae artibus partium *escu-*  
*lentarum* et copiam et virtutem adauge-  
ri, et noua forsan vegetabilia, praefstan-  
tissimum praebentia alimentum, explora-  
ri posse.
- 3) Porro vegetabilem diaetam mul-  
tos homines, qui, variandorum et  
mutandorum ciborum caussa, praec-  
ter nota vegetabilia et alia, ad  
quorum

Sed  
folius  
negli-  
enim  
tico,  
ditae  
mine  
Caeto  
ad co-  
dem f

quorum usum vel externa similitudo cum aliis fructibus esculentis, vel ipse suavis sapor eos alliciebat, inuestigare inuestigataque comedere conabantur, vita olim priuasse, et adhuc interdum priuare, minimie quidem nego, et hoc ipsum temerario nonnullarum plantarum venenatarum, v. c. Hyosciami nigri et Atropae Belladonnae *Linn.* usu re vera accidisse, lubens concedo;

Sed licet haec omnia ita sepe habeant, folius hominum in cibis caute eligendis, negligentiae culpa hoc accidit. Deus enim pro benignitate sua, odore narcoticō, quo plures herbae venenatae praeditae sunt, cauere haud omisit, ne homines et animalia iisdem vescerentur. Caeterum quoque a natura generis noti, ad conditionem tantum non omnium eiusdem specierum semper fere valet conclusio.\*

\* An hacc regula ad *Solanum tuberosum* LINN. accommodari possit, nec ne, equidem diuidicare non auffim. Plures solani species vi gaudere narcotica inter omnes constat; an vero hoc, quod ge-

neri proprium est, et ad Solanum tuberosum, transferri possit, in dubio adhuc relictum est, licet, quum omnes sere homines summa cum voluptate eo vescantur, accurratissima virorum eruditorum disquisitione dignissimum sit.

4) Sic etiam vrgeri potest, vegetabilium imprimis pomorum copiam et conditionem a tempestate, quam admodum variam esse, nec vegetabilibus semper fauere, satis constat, pendere; ita vt non quotannis vegetabilia ad vitam sustentandam sufficientia adhinc.

\* Quare primos homines, si in alia terra regione eos collocare, summo numini placuisse, iam cibos ex regno animalium desuntis, comesuros fuisse crediderim.

Magnum hoc vtique diaetae vegetabilis impedimentum est, quod tamen tolli ac superari posset, dummodo homines, multaria experientia edocti, vegetabilia ab insectorum, frigoris, aliarumque rerum funestarum iniuria defenserent, frugumque abundantiam ad liniendam futuram inopiam adseruassent.

Quae

6) Quaecunque regio et quodcunque clima certam tantummodo, et interdum non sufficientem \* vegetabilium esculentorum copiam fert.

\* Hoc praeferunt de zona frigida valere probant:

a) HALLER l. c. p. 290.  
b) MEINERS l. c. p. 360.

Sed et huic difficultati homines variandis eiusdem generis cibis mederi possent. Caeterum si Deus vegetabilem diaetam hominibus destinasset, regiones septentrionales habitari, velle non potuit; quod vero quum factum sit, eum hominibus illam diaetae speciem non constituisse, concludere licet.

6) Denique sola vegetabilia facile acidum in primis et deinde in secundis quoque viis generare, quod varia mala vel leuiora v. c. sodam seu pyrozin, colicam, vel grauiora e. g. rachitdem et morbos arthriticos efficiere, et ad alium fluidiorem ac diarrhoeam habitualem, quae bonos succos ultra modum e corpore eliminat, disponere, nec non

7) Vegetabilibus, pro mole sua exiguam materiam nutrientem inesse, contendi potest, ita ut, ad vires perfecte restaurandas, nimia quantitate, nonnisi vehementiori corporis motione, quam non quaevis ferre potest vitae conditio, subigenda, sumi debeant, vnde varia mala oriri possint.

De vtraque obiectione nihil amplius addo, siquidem iudico, eas firmis argumentis plane refutari non posse.

### §. XVIII.

#### *Vegetabilium præstantia.*

His ita peractis, pergamus ad argumenta in medium proferenda, quibus diaetae vegetabilis præstantia nititur.

1) Diaeta vegetabilis suauissimos et simul saluberrimos cibos hominibus præbet, inter quos *poma* primum procul dubio locum tenent. Quum subtilissimos ac percolatissimos contineant vegetabilem succos, non solum gratissimo gaudent sapore, verum etiam blandissimum et simul lenissimum præbent alimentum.

Pulpa

Pulpa  
dem  
que  
muci  
mai  
parte  
poma  
Omn  
hom  
ipfa  
diger  
tos n  
tere  
expe  
mis  
putri  
quan  
pone  
opina  
rum  
quip  
teria  
ciun

Pulpa eorum ex acido, (omnibus quidem vegetabilibus communi, in quacunque tamen specie diuerso, \*) partibus mucilaginosis inuoluto, constat. Quo major est mucilaginis cum sacharacea parte ad acidum ratio, eo dulciora sunt poma atque ad concoquendum aptiora. Omnia, quae edimus vegetabilia, a fano homine, et quia faciliter dissoluuntur, ipsa in vniuersum spectata, carne melius digeri, contendere ausim. Denique multos morbos tollere, et imminentes auertere possunt cibi vegetables; ita, ut experientia edocti sciamus, maturis pomis comedendis febrium biliosarum et putridarum vehementiam imminui; quamquam ill. GVIDETTI \*\* praedispontentem ad illas cauissam, poma esse opinatur, quod quidem de immaturorum duntaxat usu valere posse videtur, quippe quae ad diarrhoeam atque dysenteriam generandam multum omnino faciunt.

\* Vid. Cel. GMELIN *Einleit. in die allgem. Chemie*, Göttingen 1789. T. I. p. 226 sqq.

Magna

Magna de acidi vegetabilis natura inter  
Chemicos lis fuit, et hucusque obtinet.  
Alii, quocunque vegetable peculiare  
acidum habere, alii iisque plurimi omnia  
vegetabilium acida ex aceti acido origi-  
nem trahere, putant. Hoc praesertim  
Cl. WESTRUMB. contendit, (Vid.  
*Patris Neue Entdeckungen in der Chemie*  
P.X. p. 84. sqq. B. 2. p. 221. et 357.  
nec non in illius kl. *Phys. chem. Abhandl.*  
aus dem *Chem. Journal.* Lips. 1788  
p. 41. et 152. Eiusd. kl. *Abhandl.* B. 1.  
p. 1.) cuius sententia eo probabilis euadit  
quod omnia vegetabilia, vel per se in  
fermentationem abeuntia, vel acido ni-  
tri tractata, acetum praebeant. Cel-  
HERNSTAEDT ex acido tartari  
omnia vegetabilium acida, originem tra-  
hare afferit (*N. Entd. VIII.* p. 18 et 28).  
Nonnulli ad acidum sachari omnia eius  
modi acida reducunt; (vtrumque vero  
acidum ad acetum notis artificiis redu-  
ci potest,) alii denique omnium vegeta-  
bilium acidorum basin, acidum phospho-  
ri inuenierunt. — Omnino vero acida  
omnium vegetabilium, in summa licet  
mutua similitudine, peculiariis tamen  
virtutibus admodum inuicem differunt,  
cuius rei causam plures Chemici in ma-  
iori minoriue phlogisti copia querunt.  
(Vid. *Chem. Annal.* 1786. II. p. 133. et  
D. GE. ADAM RICHTER *Lehrbuch*  
der *Chemie*, Halle 1791. 8. §. 488.)

De

De tota hacce doctrina, quae ad di-  
judicandam vegetabilium conditionem  
eorumque in corpus effectum recte eru-  
endum, multum omnino conserit, Vid.  
*Chem. Annal.* 1784. II, p. 89.

\*\* IO. THOM. GVIDETTI *Abhandl. üb.*  
die gall. Fieber und den gall. Seitenfisch,  
a. d. Latein. übers. v. TABOR Hei-  
delb. 1790. 8.

§. XVIII.

*Continuatio.*

2) Vegetabilia et praefertim poma  
languinem fluidiorem purioremque red-  
dunt; quaedam eorum vase adstringunt  
atque roberant, ideoque putredini opti-  
me resistunt. Haec etiam causa esse  
videtur, cur calidiores potissimum terrae  
regiones praestantissimis vegetabilibus  
acidulis atque refrigerantibus abundant.  
Praeterea resoluentibus \* antiscorbuti-  
cis, \*\* caeterisque viribus medicatis \*\*\*  
gaudent. Cuicunque plantae parti vires  
quodammodo propriae videntur; ita vt  
fere semper vegetabilium esculentorum  
folia acida, radices fere et fructus dulci  
indole sint, quamquam et contraria ex-

empla

empla in medium proferri posse, diffiteri non ausim.

Ex his patet, ex regno vegetabili non solum praestantissima alimenta, verum etiam saluberrima medicamina repeti posse, variis corporis incommodis, multisque morbis opponenda.

\* Vid. b. m. IAC. REINB. SPIELMANN  
Diff. de principio saline, Argentor. 1748.  
§. XXXI; in PRIL. LUDOV. WITT-  
WER Detectu Dissertat. Argentoraten.  
Norimb. 1777. Tom. VIII. p. 49.

\*\* Praestantissimis antiscorbuticis viribus  
gaudet totus fere tetrodynamiae ordo.

\*\*\* b. IO. ERN. HEBENSTREIT in  
carmine de homine sano et aegroto, Lips.  
1753. 8. §. 17. eleganter dicit:

Nec tantum quod alit, mittit vegetabile regnum,  
Sed medicata simul descendit ad illa  
virtus.

## II. DE DIAETA ANIMALI.

### §. XX.

Quo magis vero vtramque diaetas  
speciem comparare possimus, et de diaeta animali nonnulla praeserenda vi-  
dentur.

Diaeta

*Eduardus*  
issteri  
li non  
verum  
reperi  
mul-  
IANN  
1743.  
ITT  
rateus.  
iribus  
ordo.  
T in  
Lip.  
vege-  
um,  
ad illa  
LI.  
etiae  
e di-  
vi-  
aeta

Diaeta animalis probe in duas partes dispeſci potest. *Prima*, diaeta animalis *sensu strictiori* ſic dicta, partes anima- lium *solidas* complectitur; ad *alteram* vero diaetam animalem *sensu latiori*, *fluidae* partes, *lac quoque et oua* per- nent.

Antequam vero pro instituti ratione, ea, quae diaetae animali obſunt, profes- ramus, de carne et lacte feceris non- nulla obſeruare liceat.

§. XXI.  
*De carne.*

*Carnis*, quae pars eſt animalium mu- ſculos/a diuersa natura, virium nutrien- tium, et facilioris difficultorius dige- ſtionis ratione habita, a multis rebus, v. c. climate, in quo animalia viuunt, corporis magnitudine, alimentis vita- que ratione pendet. Quod quidem ar- gumentum ſcrutantibus et in intimam rerum naturam inquirentibus, largam praebet materiam; quam quum peni- tius exhaustire non auſim, de tota hac re, in vniuersum conſiderata, pauca haec annotaffe ſufficerit.

I)

1) Zona, quam vocant temperata, animalibus esculentis longe magis abundant, quam torrida et frigida.

2) Quo maiora sunt animalia, eo vi- lius praebent alimentum; quia, quo maius est corpus animale, eo durior ac tenacior caro euadere, adeoque parte sua solubili, i. e. gelatina carere, solet.

3) Caro ferarum carni animalium domesticorum atque saginorum praeserenda est, quia haec facilius digeritur, quod ex diuersa animalium vivendi ratione commode explicari posse videtur. Etenim quum crebrius vehementiusque corpus commoueant, fieri nequit, quin pabulum melius concoquunt. Praeterea pabulum ipsum simplicius atque tenuius est pabulo animalium domesticorum, et praefertim eorum, quae saginantur; quippe quibus tanta saginae copia obici solet, quantam modo ingurgitare possunt. Sic nutritio eorum non aequaliter procedit, sed pinguis solum euadunt; adeps hinc oriunda, dum subacta praecipiua lymphae partem superpeditat

pediat constitutque, praestantissime  
nutrit, difficillime vero concoquitur.

## §. XXII.

## De lacte.

Lac plurimum idque praestantissimum praebere alimentum, omnes contentiunt; quum hoc ex partibus lac constituentibus, eiusdemque magna cum chylo analogia, nec non exinde adaptat, quod nullus cibus, nisi in eiusmodi lac conuersus, atere queat. Tota quidem lactis substantia in chyrum transformari, et solum per admixtos humores corporis inquilinos, coenandi vim emittere videtur, factis vero aliquot iunctim cum M. S. circulis, eidem penitus assimilatur; pars vero eius caseosa, mutato colore, adquisitaque maiori densitate in fibram Gaubianam abit. Pro animalium varietate, varia etiam lactis natura esse solet, id quod ex maiori minorie tremoris, partis caseosae aerisque fixi quantitate satis adparet. Li-  
et incommoda ex praestantissimo hocce alimento oriunda, minora sint, quam

C        quae

quae reliqui cibi bene nutrientes corpori creare solent; attamen eximiam quam inuoluit, aëris fixi copiam, fatus excitare, ideoque ventriculum ac intestina distendere, sicutque sanguinem vehementius caput versus propellere, debitari nequit. Plerisque hominibus abdominis debilitate acidoque in primis viis, laborantibus, lac concoctu difficultimum. Caeterum vero, quum facillime in chylum abiens, largius sumatur necesse sit, polychymiae, quippe quae quamplurimis morbis caufa occasionalis est, ansam praebere potest.

\* Vid. a) P. I. BERGIVS *Verfucie* <sup>mit</sup> der Frauenmilch; Schwed. Abhandl. XXXIII. p. 49 sqq.

b) F. L. IAC. VOLTELEN *de latte humano, eiusque cum asinino et ouillo comparatione*, Lips. 1779. 8.

c) PARMENTIER et DEYEVX <sup>fol</sup> *P' analyse du lait*, Journ. de Physique par ROZIER Tom. XXXVII. p. 361. (<sup>in</sup> Anales de Chim. T. VI. p. 136.) <sup>col</sup> Braunschw. Magaz. J. 1791. St. 39.

§. XXIII.

## §. XXIII.

*Objectionum contra diaetam animalem refutatio.*

Age iam refutemus, quae contra diaetam animalem proferri possint obiec-

tiones.

1) Sola diaeta animali primi homi-  
nes uti potuisse, forsitan quis ne-  
get, siquidem ignis usu instrumen-  
tisque, quibus animalia occidere,  
occisaque dissecare potuissent, pla-  
ne carentes, cibos inde parare ne-  
sciuisserent.

Sed tota haec obiectio euaneat, dum  
modo memineris, iam Tubalcainum in-  
strumenta, ignis ope\*, e ferro fabricasse.  
Alia quoque argumenta suadent, iam  
primos homines diaetam animalem ha-  
buisse (sensu quidem strictiori §. XX.  
sumtam), quam ipse Deus iis benigne  
concessit \*\*. Nimurum licet quibusdam  
animalium partibus v. c. velleribus uti-  
rentur, non probabile tamen videtur,  
eos animalia, quae magna iis emolumen-  
ta, praesertim quidem lac, praebebant,  
vnice vellerum caussa maestatuos fuisse.  
Quo et hoc accedit, quod ipsam carnem

summo numini sacrificandi \*\*\*, iam iuter primos homines mos obtinuit. Ipsi diuturno ciborum animalium vsu edociti, mox experti esse videntur, quaenam sint nobiliores animalium partes, quippe quas solas Deo offerre solebant. Sed et diaeta animali, sensu latiori summa, primos homines vsos esse, dubio care, quum lac praestantissimum esset eorum alimentum.

\* Quid vero, si forsitan primi homines praepter lac, etiam carnem crudam comedissent nonne et tum, vel ignis vsu expertes, diaeta animali vsi esse, dici possint?

\*\* Vid. Genet. Cap. VIII, v. 3. *Alles was sich reget und lebet sey eure Speise.*

\*\*\* *Morem vescendi animalibus a sacrificiis Diis offerri solitus originem traxisse, plerique contendunt.* Vid. LVDOV. NONNI *Diaeaticon, s. de recipibaria, Lib. IV. Edit. II. Antwerpiiæ 1642. 4. Lib. II. Cap. 1.*

2) Nec omnia animalia, nec omnes eorum partes comedi possunt. Idem igitur, quod supra (§. XVII. 2.) de vegetabilibus praedicauimus, et ad animalia commode transferri posse videtur. Etenim in quoque

Qua  
habit  
tiqua  
dunca  
cier  
ti ind

3)

Si dia  
tellig  
fe fer  
penit  
nam

que climate maior vegetabilium quam animalium esculentorum numerus est.

Quantitatis secundummodo ciborum ratione habita, diaeta animalis vegetabili neutram postponenda est; quum paucae duntaxat animalium esculentorum species multa vegetabilium genera, alimenti inde trahendi quantitate aequent.

§. XXIII.

Continatio.

3) Cibi animales propter magnam partium terrearum in iis contentarum copiam, sanguinem incrassant, cruditates efficiunt, succos praebent tenaces, sanguinem ad diathesin inflammatoriam s. phlogisticam disponunt, denique corpus ad putredinem quam maxime proclive reddunt.

Si diaetam sensu strictiori animalem intelligimus, haec obiectio aliquam praese fert veri speciem, quae tantum non penitus euaneat, si lac, oua ac gelatinam ex animalium cartilaginibus para-

C 3 tam,

tam, hoc referimus, — Ex animalibus  
haud multo major partium terrearum  
copia sanguini admisceri potest, quum  
non nisi solubiles partes ad sanguinem  
perueniant, \* et terra soluta vasa obstrue-  
re nequeat. — Carnem cruditates ef-  
ficere, communis tantum non omnium  
medicorum fuit opinio, cuius vero iam ve-  
teres nonnulli contrariam tuebantur sen-  
tentiam. <sup>10</sup> Cibi animales maiorem qui-  
dem sanguini atque lymphae conciliant  
consistentiam, vnde ad diathesin phlogisti-  
cam profluit dispositio, quae tamen ipsi  
perfectae sanitati propria esse videtur  
quum in hominibus robustissimis, v. c.  
ruricolis soleat obtinere. — Deinde licet  
maxima nostrae aetatis medicorum pars  
consentiat, perpetuum animalium cibo-  
rum usum corpus ad putredinem reddere  
proclive; <sup>11</sup> nihil tamen minus experi-  
entia contrarium probare videtur. Con-  
stat enim inter omnes illud notatu di-  
gnissimum COOKII exemplum, qui in  
itinere suo, carne solum canis recens  
mactati, scorbuto (morbo, ex summa  
partium dissolutione ac putredine oriun-  
do)

alibus  
earum  
quum  
uinem  
ostrue-  
tes ef-  
fum  
am ve-  
or sen-  
n qui-  
ciliant  
ogisti-  
en ipsi  
detur.  
v. c.  
e licet  
a pars  
cibo-  
ddere  
xperi-  
Con-  
eu di-  
ui in  
ecens  
mma  
riun-  
do)

do) mederi poterat. III. FRANK \*\*\*  
quoque contendit, experientiam doce-  
re, homines, diaetae animali addictos,  
febribus putridis minus esse obnoxios,  
quam qui solis vegetabilibus vescuntur.  
Praeterea etiam exinde pro tuenda hac  
sententia argumentum repeti potest,  
quod homines vel ipsa carne putrida,  
falsa valetudine vesci possint. \*

\* a Treatise on the digestion of food, by  
G. FORDYCE, London 1791. 8.

\*\* Bene NONNIVS l. c. "Nec illud  
admittendum, concocta carnes esse  
difficiliores et cruditates inducere, si mo-  
dus adhibeatnr. Nihil enim adeo salu-  
bre in tota viuis ratione, quia nimis  
sua copia, vel praepostero usu, crudita-  
tes non possit inducere.

\*\*\* HALLER l. c. p. 302 sqq.

\*\*\*\* IO. PETR. FRANK *Oratio academ.,*  
*de virtutibus corporum, Medicis aquio-*  
*ri modo determinandis; in Deleculu opu-*  
*sculorum medicorum antehac in Germa-*  
*niae diversis academiis editorum, Tom.*  
*VIII. Ticini 1789. 8.*

† Vid. III. GE. CHR. WEDEKIND *de*  
*morborum primarum viarum vera noti-*  
*tia et curatione, Norimb. 1791.; in in-*  
*troitu.*

4) Optimus, quo caro bonum ac fa-  
lubre alimentum praebere posse vi-  
detur modus, si cruda nimis  
comederetur, inter nos non visitatus,  
nec naturae nostrae satis adcom-  
modatus est. Etenim per quales-  
cunque parationes (coctionem, fri-  
xationem, assationem) principium  
carnis nutritius, lympha coagulabi-  
lis, vel maxima ex parte elimina-  
tur, vel pro�us in coagulum abit:  
quod vero quum ventriculo inde-  
que toti corpori noceat, varia car-  
nis paratio sanitati infensa videtur.  
Carnem crudam magis omnino conduce-  
re, et quamvis eius parationem vim  
nutrientem imminuere, lubens concedo;  
attamen per coctionem ea, quae supra  
enumerauimus detimenta, vel omnino  
non, vel aliquo saltet modo locum ha-  
bent. Sed et ipsum coagulum leuius  
non ita obest, quam vulgo putatur,  
quum secundum recentiorum quo-  
rundam eruditorum, v. c. ill. GEH-  
LERI <sup>op</sup>inionem, eiusmodi coagu-  
lum

lum ad digestionem perficiendam requiriatur; quam quidem opinionem, certis experimentis, hucusque non stabilitam, licet defendere nolim, attamen nec prorsus negare ausim.

\* Nonnullos populos, v. c. Tartaros nomadicos, carne cruda vesci, quis, quae lo ingnoret?

\* D. GEHLER Progr. de connubio latris cum acido dulcibus, sanitati neutiquam infenso. Lipl. 1791.

Animalis quoque diaeta, praestantissima praebet alimenta, quod praesertim lac (§. XX.) et ova probant, quorum albumen maxima similitudine cum lympha animali gaudet, et quae ipsi lacti propterea praferenda sunt, quia in minori massa maiorem partium nutrientium copiam continent.

### III. DIAETA MIXTA.

#### §. XXVI.

Diaetae mixtae praे singulis eiusdem speciebus virtutes.

Iam quum vtraque diaetae species, si siliatim sumta maximis virtutibus gaudet,

C 5

deat,

deat, paribusque vero (quod §§. XI et XXI. probare studuimus) vitiis laboret, ita ut alterutram eligentia eque magnae obstant difficultates, rei natura ad hasce nos adducit quaestiones:

1) Nonne mixta diaeta singulis eiusdem speciebus praeferenda est?

2) Nonne, diaeta animali et vegetabili inuicem iunctis, omnes vtriusque diaetae virtutes adaugeri, vitiaque imminui vel penitus tolli possunt?

Attendamus ad has quaestiones probe diiudicandas decidendasque ad argumenta haec:

1) Nihil homini magis placet, nihilque eius naturae magis quasi insitum est, quam *variationis in omnibus rebus desiderium*, quod sicuti de omnibus rebus humanis, ita et de victu quam maxime valet. Quum vero vtriusque diaetae speciei combinatio illi desiderio, aut ut ita dicam, naturae legi satisfaciat, iam ob id ipsum diaeta mixta hominibus potissimum congrua esse videtur. Illud vero variationis desiderium neutquam naturae humanae vitium est, sed a Deo ipso

ipso pro consilio sapientissimo humanae  
naturae inditum est, ita ut ab ea separa-  
ri nec possit nec debeat.

2) Etenim alterutra diaeta diu con-  
tinuata semper nocet et nocere debet.\* Sem-  
piternus ciborum vegetabilium usus hu-  
mores reddit acres acidumque in primis  
vitis gignit et cruditates; continua vero  
animalis diaeta ad humorum corruptio-  
nem atque putredinem indeque oriun-  
dos morbos, Scorbutum et i. g. a. cor-  
pus proclue reddit.

3) Ipse Creator diaetam mixtam ho-  
minibus constituisse videtur, quod  
praetermissis iis, quae supra prolata  
sunt, argumentis, ex ipsius sacrae scri-  
pturae verbis, \*\* nec non exinde adparet,  
quod homines cibos ex utroque re-  
gno desuntos appetant, probeque dige-  
rere possint. Ipse quoque naturalis cibo-  
rum adpetitus, si inde eligendae alteru-  
trius diaetae argumentum depromere li-  
cet, mixtam diaetam suadet.

4) Cibi ex utriusque regni substan-  
tia mixti, inter omnes sapidissimi sunt  
atque

atque saluberrimi. Hac coniunctione particulæ, quæ noxam nocere possint, prorsus eliminantur, aut saltem minus noxiae redduntur, et concoctu longe faciliores. Ita v. c. frequens carnis usus ad putredinem corpus proclue reddit, quod admixto acido vegetabili nisi penitus tollitur, ita tamen diminuitur, ut magnum inde corpori detrimentum oriri nequeat. \*\*\* Eodem modo tenaces succi animales per vegetabilia soluuntur, vti ex altera parte nimia vegetabilium aciditas, per lympham animalem inuoluitur, ideoque multo minus noxia redditur. \*

\* HALLER l. c. §. 217.

\*\* HALLER l. c. p. 271.

\*\*\* GENES. cap. IX. 3.

\*\*\*\* HALLER l. c. p. 305.

† Dicit b. HEBENSTREIT l. c.

Non tamen hoc satis est, animali vivere  
viuetu. —

His (scil. vegetabilibus) opus est, vegeto  
fructuros corpore, vesci  
Terrigenosque cibos animalibus addere  
mensis. —

Gratus illis inest acor, est dulcedo salu-  
bris,

Im-

Impediens sola satiatum carne, malignos,  
Ventriculum succos in viscera fundere  
posse.

Nam caro sola putret, nec sola carne  
valeamus;

Pinguis, iners sanguis, rancefrens, foetida lymphha.

Ni virtus animante fatus vegetabile regnum

Miscerer succis acidis, ex carne veniret.

§. XXVII.

Haec qualiacunque argumenta ad probandam nostram sententiam, diaeta tam mixtam cum vegetabili tum animali praferendam esse, sufficere nobis quidem videntur. Caeterum ea, magis explorata, pluribusque necessariis experimentis suffulta, si Deo ita visum fuerit, in posterum in lucem edere, animus est.

§. XXVIII.

Quamquam illa de praestantia mixtae diaetae argumenta, in vniuersum valeant, ut attamen in illorum applicacione ad clima aetatem viuendique rationem respiciatur, necesse est,

D      a) *Clima.*

a) *Clima.*

1) Zonae torridae incolis, quippe qui habitu sunt corporis laxissimo, humorum resolutioni atque putredini facilime ansam praebente, diaeta vegetabilis omnino praeferenda est, quam ipse Deus est caussis supra allatis, iis constituisse videtur. Regionem vero polarem inhabitantibus diaetam animalem potissimum conuenire, ex argumentis contrariis facilime concludi potest. — Adde diaetam animalem sanguinem largiri calidiorem, et adipis accumulationi fauere, quibus frigoris riger faciliter superatur. \*\* Mediae zonae incolis diaeta mixta est saluberrima.

\*) HALLER I. c. p. 306. MEINERS I.  
c. p. 359.  
\*\* MEINERS I. c. p. 360.

b) *Aetas.*

2) Infantibus diaeta ex maiori vegetabilium, et minori parte animalium ciborum composita, maxime, si quid sentia, congrua est, quoniam hi concoctu difficiliores sunt, illi vero non sufficiens nec satis solidum, quod ad incrementum

mentum corporis necessario requiritur,  
praebent alimentum.

3) Mediae potissimum aetatis homini-  
bus diaeta mixta conuenit.

4) Senibus, diaeta, maxima ex par-  
te animalis, suadenda est, quoniam eo-  
rum humores ad aciditatem quam ma-  
xime proclives sunt, et vi carent, vege-  
tabilia penitus in naturam animalem  
conuertendi.

c) *Viuendi modus.*  
Viuendi ratio diaetetico sensu, in la-  
boriosam et sedentariam diuidi posse vi-  
detur.

5) Homines, vitam degentes la-  
boriosam, quales sunt nonnulli opifices  
atque agricultae, diaetam vegetabilem  
ferre quidem possunt; ast mixta illis  
magis conductit. Etenim quum ad vi-  
res, quae per vehementem muscularum  
actionem amissae erant, reparandas fo-  
lidissimis egeant alimentis, et solidiores  
regni animalis cibi talia praebeant, se-  
quitur, cum animali mixtam diaetam  
eiusmodi hominibus quam maxime con-  
ducere.

D 2

;) De

Ex hominibus vitae sedentariae  
addictis, solum eruditorum habebimus  
rationem. Nemini majori, et ut ita dicam,  
magis anxia diaetae cura opus est  
quam eruditis, qui perpetuis obruti laborebus,  
corpus non satis mouent, eoque  
et simul perpetua abdominis pressione  
intestina, in quibus sic iustus prohibetur  
sanguinis circulus, quam maxime debilitant.  
His animalis potissimum diaeta edenique arctis finibus circumscripta conuenit;  
quia eorum humores ad concipientiam aciditatem quam maxime proclives  
sunt \*\*. Verum enim vero et inter cibos animales cautus instituendus delectus,  
quum nonnulli eorum, ut supra annotauimus, digestu sint difficillimi.  
Vescatur igitur eruditus carne vitulina gallinacea et columbina; lacte multisque ouis.  
Ciborum vegetabilium fluxus ergo eruditio haud prorsus dissuadendus  
sed probe restringendus est, ita ut in eiusmodi mixta diaeta cibi animales  
duas partes, vegetabiles vero unam formam constituant. Denique praestatissimam illam diaetetics regulam observueret:

Vt recte valeas, interdum rusticus esto.  
HEBENSTREIT.

Quae de diaeta quoque toto verbi ambitu valere potest.

\* Haec acidii generatio, maximum eruditorum incommodum, eo explicari potest, quod acidum in quibuscumque cibis (ouis forsan solis exceptis) contentum, cum succia inquininis non satis misceri, nec ab iis innolui possit. Tali modo colligitur, acidum in primis viis, quo sit, vt ueni cibi sumti, per modum fermentatiuae assimilationis eandem indolem, induant. Orientur itaque cruditates, obstructiones viscerum, varia acrimonia irritans, quae magnum insequi solet morborum agmen. Vtrum hoc in primis viis obtinens acidum, modo vegetabilis natura sit, aut ex superabundante acido phosphori consistet, diludicare non ausim, quamquam posteriorem opinionem magis mihi arridere diffiteri nolim.

\*\* A. D. TISSOT über die Gesundheit der Gelehrten, a. d. Franz. übersf. Wien 1770.  
8. §. 6o. p. 121.

### §. XXVIII.

Primae opusculi nostri parti finem imposituri, ne praetermittamus, quod ad eam quam tractauimus doctrinam, ali-

D 3

quid

quid facere possit, adhuc examinemus paullo curatius, num illud inter cibos vegetabilis et animales (i. e. inter partes vtriusque corporis organici constituentes) discrimen adeo magnum sit, quam primo intuitu videtur. Propriae et eminentes vegetabilium partes sunt: acidum plus minus euolutum, mucilago, materia facharacea, resina, gelatina vegetabilis et oleum. Partes vero animales sese distinguunt albumine, glutine fibram animalem constitutae, et vera gelatina, in quibus omnibus partes proximae salis alcalini volatilis latent<sup>3</sup>. At enim vero adest quoque in animalibus viuis acidum liberum, quod in vrina et sudore<sup>\*\*</sup> cernitur, ne dicam, acidum fachari ex omnibus fere partibus animalibus \*\*\* extricari posse. Gelatina vegetabilis non differt ab albumine, nisi acidi admixtione, ita, ut illa in hoc, et hoc in illam verti possit \*\*\*\*. In vegetabilibus quoque latet materja vera albuminosa †, pars glutinosa in seminibus cerealibus ‡‡ et licet resinam veram in iis non inuenias, adest tamen copiosa materia extractiva, vegetabili analoga, quae vero resinae naturam, facilime induit †††. \* Vid.

\* Vid. FOVR CROY *Handb. der Naturgesch. u. Chem.* B. IV. p. 470 sqq.  
\*\* BERTHOLET in *Journ. de Phys.* Tom. XXVIII. Pars I. p. 275.  
\*\*\* BERTHOL. in *Mem. de Par.* 1780. et *chem. Annal.* J. 1786. B. 2. p. 539.  
\*\*\*\* FOVR CROY in *Ann. de Chim.* T. III. p. 261.

† FOVR CROY l. c.

†† KESSELMAYER l. c. FOVR CROY  
*Annal.* l. c. p. 253.

††† FOVR CROY *ibid.* T. VI. p. 180.

---

## THESES.

---

### I.

Diaetetics studium tantum non omnibus Medicinae doctrinis praferendum esse videtur.

### II.

Bene institutum diaetae regimen omnium medicamentorum usu praefantius esse arbitror.

### III.

Balnea frigida sanis hominibus calidis magis conducere, contendeo.

### III.

Eandem, iustamque ciborum quantitatem semel, quam reiteratis vicibus assumere, homini sano magis conuenire, opinor.

### V.

V.

Motum illenem diuque continuatum vehementiori corporis exercitationi, eodem, quam ille, temporis spatio absolutae, esse praefendum censeo.

VI.

Apertis fenestris, dormant qui sanitati bene consulere volunt.

VII.

Modicum potus ex fabis Coffeae arabicae Linn. cocti vsum, sano homini nocere, nego.

VIII.

Somnus poméridianus laud plane spernendus est.

VIII.

Ventriculi cibos concoquendi vim, non tam infibrarum muscularium actione, quam in soluentibus potius succi gastrici viribus esse querendam, arbitror.

X.

Ciborum partibus terreis abundantium noxa, non aminimorum vasculorum obstruktione ab illis producta pendet.

XI.

Terra casei animalis, non in lacte suspenfa haeret; sed nouae solum mutataeque affinitatis productum est.

XII.


Cibi pingues sanis hominibus optimum praebent nutrimentum.

Helmstädt, Diss., 1786-95

f

ULB Halle  
004 327 586

3



5b.





D I S S E R T A T I O M E D I C A  
C O G I T A T A Q V A E D A M  
D E  
D I F F I C I L I O R I B V S  
Q V I B V S D A M  
D I A E T E T I C E S D O C T R I N I S  
E X H I B E N S :  
P A R S P R I M A ,  

---

Q V A M  
P R A E S I D E  
A V R E N T I O D E C R E L L ,  
P H I L O S O P H I A E E T M E D I C I N A E D O C T O R E ,  
B R E N I S S I M I B R V N O V I C E N S I V M A C L V -  
E B V R G E N S I V M D V C I S A C O N S I L I I S I N  
E B V S M E T A L L I C I S ; M E D I C I N A E T H E O -  
R T I C A E E T M A T E R I A E M E D I C A E , N E C  
N O N P H I L O S O P H I A E P . P . O .  
E T C .  
D I E X . O C T O B R I S C I C I D C C X C I I .  
P V B L I C E D E F E N D E T  
A V C T O R  
A R O L V S I V S T V S L V D O V I C V S  
D E C R E L L  
B R V N O V I C E N S I S  
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S .

HELMSTADII  
EX OFFICINA S. D. LEVCKART.